collectionem probant, quia alimenta nó debẽtur si filius commodè habeat vnde se alat. l. siquis à liberis. §. sed si filius. ff. de lib. agnoscen. & filius ex quibus causis ex hæredatur. de quibus in auth. vt cum de appell. cognos. §. aliud quoq; capitulum. ex eisdem alimenta amittit Bart. in d. l. si quis à liberis. §. si quis ex his. ff. de lib. agnos. & in dict. l. diuus. ff. de parricidijs. & in. l. si patrem. C. de alend. lib. & videmus omnino & in totum adimi aliméta in authético ex cóplexu. C. de incest. nup. & nostro iure est nobis. l. 5. tit. 19. par. 4.

14 Ad quæ duo argumenta vt probe satisfacias aduerte illud in primis, scilicet, illud quod de instinctu legitur in d. c. ius naturale non legi nec reperiri in. l. 1. §. huius studij, versic. ius naturale. ff. de iust. & iure, Vlpianus enim Iureconsultissimus longè aliter ius naturale explicat, quã Isidorus. Hic enim verè cum eo iure quod nos ius gentium appellamus confundit, & commiscet, Vlpianus ius naturale esse ait quod natura omnia animãtia docuit, & istud ius non humani generis propriũ, sed omnium animalium quæ terra mariq́ue nascuntur auium quoque commune esse fatetur. Vnde coniugatio maris & fœminæ, & procreatio liberorũ, atque paulò inferiùs hoc ius naturale, à iure illo quod nos gentium dicimus distinguit, quod hoc iure gentium soli homines, vniuersiq́ue homines vtantur, at verò iure naturæ vtuntur hominum & pecudum genera omnia simul. Itaque ius gentium solis hominibus & vniuersis hominibus tribuimus, at verò ius naturæ hominibus ipsis, insuper & animantium vniuerso generi.

Ius gentium id definimus quod ratio-
15 ne duce nó vero natura apud omnes gentes receptum est. In quo omnium gentium, non singularum consensum requirimus, ius naturale, naturam habet authorem. Ius gentium rationem, Sotus libr. 1. de iustitia & iure, quæst. 5. arti. 4. ius gentium esse ait quicquid mortales ex principijs naturalibus ratiocinãdo & per modum conclusionis elicimus: vt puta cum querimus de bello, licere dicimus bellũ, si pacé aliter habere nó possumus. Hæc ratio, hæc argumentatio, hæc ratiocinatio, siue collectio ex naturalibus principijs necessario educta ius efficit gẽtium, quam hoc modo concipimus, pax natura ipsa constat, sine bello pax obtineri nó potest, ergo licet bellum gerere, atque hæc ratio naturalis, id est ratio educta ex principijs naturalibus bellum apud omnes nationes induxit, rursum sic, iniuriam & vim propellere licet, hoc iure gentium receptum est, quod ex hac ratione vel argumẽtatione deducta à principijs naturalibus recipit vniuersum hominum genus: ita ratiocinando, natura quidem licet seipsum tueri, ergo defendere, seipsum autem tueri non potest quisquam, nisi propellat vim illatam, ergo licet propellere vim & iniuriam, & vniuersum hominum genus vim vi cœpit propellere, ecce quomodo constituatur ius gentium vt omne illud quod ratione & syllogismo ex principijs naturalibus elicitur id sit ius gentium, ab omnibus hominibus vniuersè acceptum.

16 Vnde verba illa apud Iustinianum institutionum, lib. 1. titu. 2. de iure naturali genti & ciuili. §. ius autem ciuile. versic. *Quod verò naturalis ratio inter omnes gentes constituit id apud omnes populos peræquè custoditur, vocaturquè ius gentium,* Verba hæc ita sunt interpretanda, scilicet, vt illud æquè custodiatur apud omnes gentes, & sit ius gẽtium, quod ratio naturalis inter omnes constituit, id est, ꝙ ratio, id est ratiocinatio, naturalis id est ex principijs naturalibus elicit & educit, & cõstituit. Nec enim intelligẽdũ est, ꝙ ratio naturalis, id est ius naturale cõstituit, quòd ferè sensit Accursi⁹ ibidem, vide circa interpretationé illorum

© 2011 Real Academia de Jurisprudencia y Legislación